



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

3. Aemilivs de præsentî coram Parocho & Testibus sed conditionatè cum puella contrahens impletâ postea conditione de nouo prædictum Parochu[m] & Testes aduocare debet, vt impletio conditionis illis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

Atque ex his patet ad Authores contrariæ sententiæ, qui vnicè verbis constit. Pontificiarum innituntur.

III. *Æmilius contrahens matrimoniū de presenti coram Parocho & Testibus simul edicit sponsa, non aliter valiturum contractum, quàm in eventu, si parens huius intra Mensem ex Italia redeat, & consensum præbeat, quam conditionem acceptat, sponsa, cuius etiã parens elapso mense adest & consentit. Queritur. Vtrum de novo advocandi sint Parochus & Testes, ut iam intersint, dum parens consentit, adeoque testari possint de eventu implete conditionis, & iam perfecti contractūs?*

Videtur, non de novo vocandos esse Parochum & Testes, nec hanc impletionem conditionis certò illis constare debere. Ita Sanchez de Matr. L. 5. D. 8. n. 24. Movetur, Tum quia nec in matrimonio per Procuratorem contrahendo necesse est, ut Parochus ac Testes litteras Mandati cognoscant, à quo tamen Mandato non minùs pendet Matrimonium, quàm conditionatum ab eventu. Tum quia similiter non est necesse, ut Parochus ac testes inspiciant litteras vel dispensatorias inter prohibitos, vel Natalitias de cognoscenda contrahentium ætate seu pubertate; & tamen ab his (dispensatione & ætate) non minùs pendet matrimonij valor, quàm ab eventu conditionis. Tum quia sic obtinetur finis Concilij Tridentini, qui est,

ne

ne contrahentur secundæ nuptiæ spretis primis, cum enim Ecclesiæ constet de hoc matrimonio, non permittetur alterutri contrahentium transitus ad aliud, donec satis innoverit, conditionē, à qua prius matrimonium pendeat, non esse impletam.

Respon. Probabilius esse, Parochum ac Testes de novo vocandos, dum consentit Pater, ac de impleta conditione certificandos esse. Ita Coninck *de Sacr. D.* 29. à n. 15. Præpositus *Q. 3. de Matrim. dub. 8.* Layman. *L. 5. Tr. 10.* P. 2. c. 7. n. 3. Gasp. Hurtadus *D. 16. diff. 8. n. 24.* & præter alios Martinus Perez *Tom. de Matr. D. 16. f. 14. n. 4.* ubi bene advertit, difficultatem hanc procedere iuxta eorum sententiam, qui sentiunt, contractum matrimonij conditionatum conditione de futuro purificari impletionem conditionis absq; novo consensu; in opposita enim opinione utique de novo vocandi sunt Parochus & Testes, & consensus coram his denuo ponendus, ut contractus ille, qui ante impletam conditionem solum erat sponsalitiuus, fiat matrimonialis. Ratio nostræ resolutionis est. Tum quia ad valorem matrimonij, ubi Tridentinum viget, necessariò requiritur, ut Parochus & Testes intelligant, & testari possint, matrimonium verè perfectèque contractum esse ad vitanda varia in foro externo incommoda. Atqui si sufficeret iuxta contrariam sententiam,

M

sententiam,

tentiam, illos interfuisse contractui tantum conditionato, non possent id præstare in foro externo; facile quippe alteruter contrahentium negaret conditionem impletam esse. Ergo omnino requiritur, ac necesse est, ut constet ipsis, conditionem fuisse impletam; sic enim contrahentes cogentur simul manere, & qui resiliere vellet à matrimonio, huic incumberet probare, conditionem non fuisse impletam, cuius tamen impletionis facile conuinci posset.

Ad primum in contrarium dicimus, Sanchezium malè supponere, Parochum ac Testes non necessariò cognoscere litteras mandati, cum contrarium probabilius sit, videlicet, necesse esse, ut Parocho ac Testibus quoquo modo sufficienter constet de mandato. Ad secundum satis esse, si Parochus ac Testes intelligant, marem & fœminam verà & *verbis, signis, litteris, vel mandato* patefactâ voluntate matrimonium contraxisse; esto non intelligant, eos validè contraxisse; siue nullo defectu occulto impeditos fuisse, modò fecerint Testes, quod moraliter ipsis faciendum erat, ut rectè Layman supra. Ad tertium negamus, sinem Tridentini aliàs obtineri, quia, ut dictum, alteruter contrahentium facile negare posset, conditionem esse impletam, cum non posset in foro externo probari, & sic sequerentur omnia incommoda, quæ cupit Concilium euitari.

IV. Ai-